

le dia
i simil
oro dal

arissa,

DE SACRAMENTIS

(PRIMA PARS)

PROCEMIUM

Sermonis initia sumantur a *Catech. Trid.* (P. II, de Sacram. n. 1): "Cum omnis doctrinæ christianæ pars pastoris scientiam diligentiamque desiderat, tum Sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter imperari possint, et sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matth. VII, 6)."

I. Indoles argumenti.—Doctor *Angelicus*, de re sacramentaria dissertatus, hisce verbis præfatur (III, Q. LX): "Post considerationem eorum quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent." Qua ex sententia satis comperitur presentem, quam suscipimus, tractationem seu commentationem institui secundum nexum ordinis synthetici procedentis de causa principaliori ad causas secundarias et effectus.—Pertinet quidem res sacramentaria vario sub respectu ad varias disciplinas theologicas, nempe tum ad Theologiam *dogmaticam* in quantum *credenda* speculative expenduntur, tum ad Theologiam *moralēm* in quantum *agenda* agendorumve principia proponuntur, tum quoque ad *Jus canonicum* secundum quod exhibentur *lēges* ecclesiastice quibus subest sacramentorum ministratio; verum nostri, ut patet, instituti est sermonem habere præcipue dogmaticum.

II. Sacramenti nomen.—Non una eademque *sacramenti* significatio penes diversos diversarum ætatum scrip-